

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Dn. M. Florus, Vir optimus & Doctissimus, Dominus & frater noster charissimus referet.

Tuus ex animo totus frater & Collega

Jacobus Andreae.

Omnino cupio consensum ante annos septem apud nos factum factum & testum. Ideoque sciatis, meam operam vobis omni tempore paratam. De rationibus mei consilii cum Wittenbergensibus vos docebit M. Florus. Interim rogo, ut D. Illyricum cohibeatis, ne pergat suum nomen prostituere opinione absurdissima de peccato substantiae; quod ego ad Caniculares dies rejicio. Ne quidem Diabolus dicet, peccatum esse substantiam. Cogetur novam dialecticam discere. Er macht nicht gut Arbeit / er wird euch ein Jammer anstellen / das ihr ihm nicht trauen werdet. Non potest defendi ejus error. Eius quaeso ne facias te participem, non enim habiturus es *si peccat*.



LIV.

S Valerudinem tuam etiamnum afflictam esse, dolemus ex animo, idque cum tuo, quem ex animo colimus & diligimus, tum Ecclesiae nomine, quae ut semper antehac, ita nunc maxime operam tuam requirit; sed Domino cum ita visum sit, te servum ipsius exercere, speremus in ejus misericordia, & invocemus sanctum nomen ejus, qui & exauditionem promittit ad opportunum auxilium, & virtutem perficit in infirmitate. Purgationem tuam ad Epistolam Sturmii perlegi, is profusus respondentem, quae nuper ex te, cum istic essem, cognoveram, nec dubito, quin satisfactum sit aequis omnibus judiciis. Caeterum quod dimissionem attinet, vir arbitror, cum vel serio urgere, vel facile concessum iri, etsi praestet meo iudicio Rectoratum, aliarum more Academiarum, in alios etiam transferri liberis Academicorum suffragiis, maxime cum ob senectam & valerudinem ei muneri obundo par esse nequeat Sturmii, quod ingentem sedulitatem hoc officium requirat. Te ab ovili removeri, certa sit scholae & Ecclesiae perniciis, quam Sathanas sub instaurationis praetextu quaerit, sed non puto praevallitura maligna consilia, vel apud prudentissimos cordatissimosque Scholarchas, vel reliquum Academiae consensum. Piscatoris *o vis ad vis* miror, maxime a paterna interpellatione tua, cui vel solus conspectus pudorem & reverentiam incutere debuit, nedum tot fratrum pia commonefactio, ardentibus gravesque hortatus. Sed qui semel frontem perfricuit, obduruisse videtur, & quia

& quum in profundum venerit, contemnit. Sapienter ergo fortiterque Scholar-
chæ fecerunt, qui à prælectionibus suspenderunt hominem. At ut maximè Senatus
vestri cognitionem postulet, spero tamen, non facile rem pridem tanto studio judi-
catam, denuò in controversiam vocatam iri. Tum si, quod cupit, obtineat, haud
magnos inde triumphos relaturum, utcunque gloriosum sibi reputet, habere in thea-
tro graves celebresque adversarios. DEI verò beneficio factum est, ut hic paro-
xyismus te vivo exortus sit, quò non solum idem reprimi, sed in posterum etiam cave-
ri nocitura possint. Atque hac ipsa de causa æquius fero, quod apud nos etiam con-
tingit hoc anno, utcunque labore & tædiis cum mihi tum aliis constiterit, posteaquam
exitum non infelicem vidimus. Precor Dominum, ut tibi & mihi liceat, quod su-
perest, breve curriculum in pace absolvere. Verum si porro in arena nobis luctan-
dum sit, aut cadendum etiam, fiat, quod bonum est in oculis Domini; novimus
enim & *ἀγωνιστήν* & brabeum, coronam paratam justiciæ legitimè certantibus, largi-
entur idem spiritum, ut durare usque ad finem queamus. Ad D. D. Scholarchas scri-
psimus, eosque in pia sententiâ, quantum in nobis est, confirmavimus. Idem scio
faciet gravius & disertius clarissimus vir, D. Jacobus Andrea, à quo accepistis jam
responsum indubiè. De filiis placet consilium tuum, & spero, sese paulatim ad mi-
nisterium Christi egregiè accommodaturos, sed opus erit vestibus ad id accommo-
dis, caligis, non disiectis, quæ illis deinceps, ne extra quidem ministerii usum, con-
venient, & tunicis, quæ manicas habeant, quales reliqui ministri gestare solent. Pan-
ni justo precio comparandi commoditatem exhibebunt nundinæ vestræ, ex quibus
mitti poterit, quantum sartor satis fore ad tunicas duas judicabit. Mea conjux ma-
tricis doloribus affligitur, minus tamen à verna phlebotomiâ per podagram afflicta,
quæ dignitatem tuam reverenter salutat. Salvam jubent eandem ex animo D. D.
Coccius & Fuglinus. Datum Basil. 21. Junii, Anno 1571.

T. d.

votus & ex animo frater

S. Sulcerus. D.

LV.
Salutem in Christo Jesu. Clarissime D. Doctor,
Domine & frater charissime.

Rogavit me Syndicus noster, ut filios ipsius tibi commendarem, quod officium,
ut ipsi denegare non potui, sic animo feci promptissimo. Est enim Vir opti-
mus & de schola nostra optimè meritus, hoc unice spectans, ut liberi sui DEO &
Reipu-